Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. I. Pars II.

Wien, 1794 Seite 1791

Quelle:
Copyright:

CCCCLIV.

98 Codex chartaceus lat. germ. Sec. XVI. Folior. 107. f. eſt *Pars III. Adverſariorum Joh. Fabri* in cauſſa Religionis, eadam Donationis formula excuſa et calamo exarata, inſtructa, ut praecedentes duae, continetque I. *Reſponſionem latinam Proteſtantibus datam 2. Aug.* 1530. quae habetur *Coeleſtini Hiſt. Comitior.* T. III. p. 1. Deeſt tamen in *Cod.* noſtro Praeloquium et ſtatim ab Articulo I. incipitur: *Imprimis cum articulo primo confiteantur* &c.

II. continet a *fol.* 49. eandem *Reſponſionem in vernacula.* Atque hic adeſt et Praeloquium, quod ſic orditur: *Die Römiſche kayſerliche Mt. vnnſer aller genedigiſter herr. Alls ſy verruckter tagen von den churfurſten von ſachſen* &c. Partem hanc ex *Fabri* mandato ſubſcripſit *Chriſtoph. Seyfrid.*

CCCCLV.

99 Codex chartaceus lat. Sec. XVI. Folior. 150. f. eſt *Pars IV. Adverſariorum Joh. Fabri* in cauſſa Religionis iisdem formulis a *Wenc. Cedlitzer* ſubſcriptis inſtructa, continetque I. Sententias *Ulrici Zwinglii* ex variis ejus Scriptis excerptas, quibus *Faber* ad informanda ſua contra illum Opuſcula deinceps uſus fuiſſe videtur.

III. et quidem a *fol.* 95. *Chronicon Bohemiae* ab anno MCCCXLVIII. ad finem anni MCCCCXXI. pertingens, *Joh. Huſſo* favens et turbas Religionis ergo coortas praecipue enarrans, inſertis etiam compluribus Documentis lingua gentis conceptis. Orditur vero illud hoc modo: *Anno domini M. CCC. XLVIII°. Karolus Imperator fundauit in Praga Studium Vniuerſale in Theologia, Jure Canonico, Medicina et in artibus. Cuius locus primo fuit in domo contigua cimiterio S. Franciſci* &c. Definit autem imperfectum: *Et cum Zizka cum ſuis prope Zluticz ad montem dictum Wladarz perueniret, et cum curribus et equitibus aſcenderet, ſe cum ſuis conjungens curribus* — — —. A 26. *Junii* 1420. usque ad finem *Diarii Belli Huſſitici Laurentii Byzynii*, melius *Brzezinae*, quod mancum *J. P. Ludewig* T. VI. *Reliq. Mſs.* ad p. 124. inſeruit, eadem paene, quae *Chronici* noſtri, verba legas, ut adeo *Brzezinae* Chronicon ab alio in principio auctum interpolatumque credamus. De eo Cl. *Raph. Ungar* in *not.* ad *Bob. Balbini Bob. doct.* p. 233.

CCCCLVI.

Codex chartaceus lat. germ. 100 Sec. XVI. Folior. 120. f. eſt *Pars V. Adverſariorum Joh. Fabri* in cauſſa Religionis, donata, ut praecedentes, *Collegio D. Nicolai* praeter formulam impreſſam id manu etiam adteſtante *Gregorio Ruch.* Habetur hic *fol.* I. Confutatio